



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Meditatio de amore Dei, & textus huius Exercitij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

Meditatio de amore Dei.

AD maiorem huius quartæ Septimanæ notitiam, hodie institui potest Exercitium de amore Dei, vt in fine quartæ Septimanæ Exercitiorum S. Patris nostri habetur.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet:

Contemplatio ad amorem spirituales in nobis excitandum.

IN primis duo notanda sunt. Primum, Quòd amor ipse ab operibus magis quàm à verbis pendet. Secundum, Quòd amor consistit in mutuâ facultatum, rerum & operum communicatione, puta scientiæ, diuitiarum, honoris, & boni cuiuscumque.

O R A-

ORATIO præmittitur ex more.

PRAELVDIVM PRIMVM est, vt coram Domino, Angelis Sanctisque omnibus mihi propitiis stare me videam.

SECVDVM, vt gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum eius in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum & seruitium ipsius totum me impendam.

PVNCTVM PRIMVM sit, reuocare in memoriam beneficia creationis ac redemptionis, dona itidem particularia seu priuata enumerare, & cum intimo affectu perpendere, quantum meâ causâ benignissimus Dominus egerit atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis, quodque, iuxta diuinum suum decretum & beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit: quibus optimè
in-

254 PRAXIS ET DECLARATIO
inspectis, vertar ad meipsum, &
disquiram mecum quæ meæ sint par-
tes, & quid æquum iustumque sit
ut diuinæ offeram & exhibeam Ma-
iestati; haud sanè dubium, quin mea
omnia offerre debeam ac meipsum cum
summo affectu, & verbis huiusce-
modi vel similibus: Suscipe Domine
universam meam libertatem; accipe
memoriam, intellectum atque volun-
tatem omnem. Quidquid habeo, vel
possideo, mihi largitus es; id tibi to-
tum restituo, ac tuæ prorsus volun-
tati trado gubernandum: amorem tui
solum cum gratiâ tuâ mihi dones, &
diues sum satis, nec aliud quidquam
ultrâ posco.

SECUNDUM erit, Speculari
Deum in singulis existentem creatu-
ris suis; & elementis quidem dan-
tem, ut sint; plantis verò, ut per
vege-

Vegetationem quoque uiuant; animalibus insuper, ut sentiant; hominibus postremò, ut simul etiam intelligant: inter quos accepi & ipse uniuersa hæc beneficia, esse, uiuere, sentire ac intelligere; meque templum quoddam suum efficere uoluit, ad imaginem suam & similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsum, agam ut in primo Puncto, uel melius si quid occurrerit. id quod in Punctis etiam sequentibus erit factitandum.

TERTIVM est, Considerare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem & laborantem quodammodò, quatenus dat ipsis, conseruatque id quod sunt, habent, possunt atque agunt. quæ omnia, ut supra, in mei considerationem reflectenda erunt.

QV AR-

QVARTVM, Proſpicere quo pacto munera & bona omnia celitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen à sole, & ex fonte aqua, derivantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumſpectionem. Colloquium etiam in fine fiet, terminandum cum Pater noster.

Declaratio huius Exercitiij.

NOTA PRIMA.

INitio huius contemplationis duæ ponuntur Notæ: quarum prima defumpta est ex Prouerbio Hispanico, Amor in rebus, non verbis consistit; & ex eo quod dicit Apostolus 1. Ioan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque*
linguâ,